

M I S S Æ

P R O P R I Æ
S A N C T O R U M

Ad usum Fratrum Minorum

S E R A N C I S C I
C A P U C C I N O R U M,

ET MONIALIUM CAPUCCINARUM

Profitentium primam Regulam S. CLARÆ;

Juxta novum Kalendarium, Rubricas, & Decreta Auctoritate
Apostolica recenter emanata & approbata,

Ex permissione Reverendissimi Patris

J O S E P H M A R I Æ A B I N T E R A M N A

Totius præfati Ordinis Ministri Generalis

Accuratè redactæ, dispositæ, & ordinatæ.



V E N E T I I S, M D C C X L V.

E X T Y P O G R A P H I A B A L L E O N I A N A

- 19 **S. Petri de Alcantara Conf.** duplex ii. Classis;
 20 **S. Elzearii Confess.** Tertii Ordinis, **dupl. minus.**
 21 **SS. Ursula & soc. virg. & mart. dupl. min. cum**
commem. S. Hilarii Abbatis.
 22 **S. Venceslai martyr**, **semiduplex**; Missa ut in
 Missali Romano sub die 28. Septembris posita est.
 23 **S. Joannis à Capistrano Conf.** dupl. ii. Classis.
 24 **S. Raphaelis Archangeli**, dupl. majus.
 27 **S. Ivo Conf.** duplex majus, **cum commem.**
 Vigilia.


PRO MENSE NOVEMBRIS.

- Dominica secunda quæ occurrit à Kalendis seu post
 Kalendas hujus Mensis celebratur **Festum Patro-**
cinii B. V. Mariæ, duplex majus, **cum commem.**
 Dominica.
 10 Translatio S. Ludovici Episc. & Confess. **dupl. min.**
cum commem. SS. Tryphonis & soc. mart.
 12 **S. Didaci Confess.** duplex ii. Classis.
 14 Translatio S. Ludovici Episc. & Conf. **dupl. min.**
 16 S. Gregorii Thaumaturgi Episcopi & Confess.
semiduplex; Missa in Missali Romano require
 sub die 17. hujus Mensis.
 17 B. Salomeæ virginis, **duplex minus**.
 19 **S. Elisabeth viduæ**, dupl. majus, **cum commem.**
 S. Pontiani Papæ & martyris.
 26 **B. Delphinæ virg. Tertii Ordinis**, dupl. majus,
cum commem. S. Petri Alexandrini mart.
 28 **S. Jacobi de Marchia Confess.** duplex ii. Classis
 line Octava.
 29 **Festum Omnium SS. Ordinis Minorum**, duplex

- ii. Classis, **cum commem.** Vigilia S. Andree,
 ac S. Saturnini mart. in Missis privatis tantum.

PRO MENSE DECEMBRIS.

- 4 S. Barbaræ virg. & mart. **duplex minus, cum**
commem. Feria.
 5 S. Petri Chrysologi Episc. & Conf. **dupl. minus.**
 Missa ut in Missali Romano sub die 4. hujus
 Mensis, **cum commemor.** Feria, ac S. Sabbæ
 Abbatis.
 8 **Festum Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Vir-**
ginis Principalis Ordinis nostri Protectricis &
Patronæ, dupl. i. Classis cum Oct. & **commem.**
 Feria.
 9 Fit de Secunda die infra Octavam Immaculatæ
 Conceptionis, **semiduplex**; Missa ut in die Fe-
 sti, **cum commem.** Feria.
 10 **Translatio Almæ Domus Lauretanæ B. V. Ma-**
riæ, duplex majus, **cum commem.** Feria, ac
 S. Melchadis Papæ & martyris, tantum.
 11 S. Damiani Papæ & Confess. **semid. cum commem.**
 Octava, & Feria.
 12 De Octava, **cum commem.** Feria.
 13 S. Lucie virg. & mart. **dupl. minus, cum commem.**
 Octava, & Feria.
 14 De Octava, **cum commem.** Feria.
 15 Octava Conceptionis, **dupl. min. cum commem.**
 Feria.
 18 **Expectatio Partus B. V. Mariæ**, duplex majus,
cum commem. Feria.



RUBRICÆ PARTICULARES

MISSALIS SERAPHICI ORDINIS

MINORUM CAPUCCINORUM.

PRO FESTIS MENSIS JANUARIJ.

Dominica secunda post Epiphaniam fit de SS. Nominis Jesu, cum commemor. Dominicæ, cujus Evangelium legitur in fine Missæ: Si autem hæc Dominica contingat die xiv. xv. xviii. aut xix. Januarii, fit etiam commemor. Sancti Simplicis occurrentis, in Missis privatis tantum: & Festum in his diebus occurrens, transferendum erit ad primam diem non impeditam.

2. Festum S. Hilarii Episcopi & Confess. semiduplex, olim assignatum ad diem 28. Januarii à Sac. Rit. Congr. 22. Maji 1683. ob occupatum ipsius diem 24. Januarii in nostra Religione à supradicto Festo SS. Nominis Jesu, nunc reducitur iterum ad pristinam ipsius sedem, scilicet 24. Januarii, & Missa dicitur ut in Missali Rom. assignatur, cum commemor. S. Felicis mart. & Oratio tertia de B. Maria, **Deus, qui salutis.**

3. Festum Beatorum quinquæ Martyrum nostri Ordinis, duplex ii. Classis, celebrandum erit die 16. Januarii in tota Nostra Seraphica Religione, nisi fuerit Dominica, quia tunc agendum erit de Festo SS. Nominis Jesu, &c. De Festo verò S. Marcelli, fit dies propria 16. Februarii.

PRO FESTIS MENSIS FEBRUARIJ.

1. Si Festum Purificationis beatæ Mariæ virginis venerit in Dominica Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ, transferatur in Fer. ii. immediatè sequentem, ex Decr. Clementis VI. & Sac. Rit. Congr. 9. Augusti 1681. Festum verò S. Petri Nolasci eo Anno transferendum erit ulterius; & tunc in Ecclesiis nostri Ordinis saltem principalibus) sub quovis titulo B. M. V. dicatis, possunt cantari duæ Missæ, una de Dominica post Tertiam, in qua fiat aspersio aquæ de more: altera de Festo Purificationis post Nonam, quia est votiva, antequam fiat benedictio & distributio Candelarum, & Processio cum paramentis violaceis & post Processionem sumuntur paramenta Alba, & cantatur Missa de Purificatione, in qua dicitur **Gloria**, & **Credo**. Ex Gavanti. par. 4. tit. 14. num. 2. & clarius Cærem. Episc. l. 2. cap. 6.

2. In festo BB. Mart. Japonensium, quod apud Nos celebratur die 5. sub ritu dupl. ii. Classis, sumitur Missa de Comuni. **Salus autem. y. Alleluja.** Hæc est vera fraternitas: & dicitur **Credo**, quia est festum ex principalibus Ordinis, sicut & in aliis Festis ii. Classis nostri Ordinis.

3. Festum sanctæ Agathæ, duplex minus, apud Nos celebratur die 6. tamquam dies propria, unâ cum commemor. S. Dorotheæ virg. & mart.

4. In festo Translationis S. Antonii de Padua in Missa fit commemoratio SS. Eufimii & Jovite mart. & non dicitur **Credo**, sicut nec in aliis Translationibus Sanctorum: & ubi reperitur vox **Solemnitas, Festivitas, Natalitia**, mutatur in **Translatio, Translationem**. Et si hoc Festum venerit in Dominica ante Septuagesimam, in Missa fit commemor. Dominicæ, & ejus Evangel. in fine, 3. Oratio de SS. Faustino & Jovita, & dicitur **Credo**. Si autem venerit in Dominica privilegiata, vel in Feria iv. Cinerum, transferatur in aliam diem, cum commemor. (si fuerit Quadr.) Feriæ, & Evangelium in fine. Quod si cantentur duæ Missæ, in qualibet nulla fit commemor. alterius, sed Missa de Feria dicitur in Missali Romano: quod servandum erit etiam in aliis Festis. Cetera ut in Missali Romano.

5. In festo S. Margaritæ de Cortona, quod celebrari debet die 23. in Missa fit commemor. Vigilæ S. Mathiæ Apostoli cum Evangel. in fine, si non fuerit Bilex. vel Sabbatum. Quod si cantentur duæ Missæ, Missa de S. Margarita dicitur post Tertiam; Missa verò de Vigilâ cantatur post Nonam. 2. Oratio, **Concede.** 3. **Ecclesiæ, vel pro Papa.** Si autem celebretur in Quadrage. servetur Rubrica, ut in Missali Romano.

PRO FESTIS MENSIS MARTII.

1. In festo S. Rosæ virginis, quod celebratur die 13. Martii, Missa dicitur de Comuni Virginum, **Dilexisti iustitiam.** 1. Oratio propria, reliqua ut in eadem Missa, quando celebratur in Quadrage. fit commemor. Feriæ currentis, & legitur Evangelium in fine.

2. In festo SS. Quadraginta Martyrum, quod nunc celebratur die 10. quando inciderit in Feriam v. post Cineres, in Missa in qua fit commemor. Fer. debet mutari Secreta Feriæ, quia est eadem cum Secreta SS. Martyrum, & debet sumi Secreta Feriæ vi. sequentis. Gavanti. par. 1. tit. 7. num. 8. Hæc mutatio debet fieri etiam in Missis votivis, quando occurrerit. Hoc notatur hic, quia non specificatur in Missali Romano.

PRO FESTIS MENSIS APRILIS.

1. In festo Translationis S. Petri de Ascantara, quod celebratur die 28. Aprilis, Missa dicitur ut in Natali ipsius: 19. Octobris, præter primam Orationem, quæ est propria, & in ea fit commemor. S. Vitalis Martyris quæ celebratur, juxta ritum temporis Paschalis, servata Rubrica Translationis sancti Antonii.

PRO FESTIS MENSIS MAII.

1. In festo Translationis sancti Bernardini, quod celebratur apud Nos die 16. hujus Mensis ex Decr. S. R. C. 27. Septembris 1698. Missa dicitur ut in die Festo cum Oratione propria, **Domine Jesu.** Similiter in Translatione S. Didaci, cum Oratione propria Translationis, servata Rubrica Translationis sancti Antonii.

2. Si festum S. Paschalis, quod celebratur die 17. venerit in Feriam ii. vel iii. Rogat. possunt cantari duæ Missæ, una de Festo post Tertiam, altera de Rogat. post Nonam. Gavanti. par. 4. tit. 14. num. 12. 13. 14. In Missis autem privatis semper fit commemor. de Rogationibus, licet non sit facta in Officio. Gavanti. ubi supra.

3. In festo S. Felicis, quod apud Nos celebratur die 18. sub ritu duplicis ii. Classis, Missa dicitur ut in Missali Nostri Ordinis, & dicitur **Credo**.

4. Si festum sancti Bernardini venerit in aliqua die infra Octavam Ascensionis, in Missa non fit commemor. Octavæ, tamen **Præfatio, & Communicantes** dicuntur de Ascensione; si autem venerit in die Octav. Ascensionis, fit commemor. de ea, ita in similibus Festis occurrentibus. Ex Decr. S. R. C. 28. Augusti 1627.

5. In festo Translationis S. P. N. Francisci die 25. observanda sunt ea, quæ dicta fuere in Translatione S. Antonii. Introitus Missæ, **Mihi autem abest,** &c. cetera ut in die Festo, & fit commemor. S. Urbani Papæ & Mart. Quod si celebretur in aliqua die infra Octavam Ascensionis dicitur **Credo.** Præfatio erit propria, sed **Communicantes**, dicatur de Ascensione.

PRO FESTIS MENSIS JULII.

1. In festo BB. Martyrum Gorcomiensium Missa dicitur de Comuni, **Intret in conspectu tuo.** Oratio prima propria, reliqua ut in eadem Missa, sine **Credo**.

2. Dominica tertia Julii in tota Nostra Capuccinorum Religione imposterum de præcepto agendum erit de Festo Sanctissimi Redemptoris sub ritu Duplicis majoris, ex novissimo Decreto Sacre Rituum Congregationis de die 12. Martii 1735. & dicitur Missa propria quæ in calce Missalis Romani assignatur; & in ea fit commemor. Dominicæ occurrentis, & Octavæ S. Bonaventuræ.

3. In festo S. Apollinaris Episcopi & martyris Missa dicitur ut in Missali Romano cum commemoratione sancti Liborii Episcopi

scopi & Confessoris. Sed si hoc Festum inciderit in Sabbatum, fit commemoratio Vigiliæ anticipata sancti Jacobi Apostoli, ut in Vigilia Apostolorum, deinde sancti Liborii, mutata Oratione pro sancto Liborio, & sumi debet Oratio, **Exaudi quæsumus**, ut in Missa, **Sacerdotes tui**, de Communi Confessoris Pontif. secundo loco.

PRO FESTIS MENSIS AUGUSTI.

1 In festo S. Mariæ Angelorum Missa dicitur ut in Anniversario Dedicationis Ecclesiæ in Missali Romano, & fit commemor. S. Stephani Papæ & mart. In Ecclesiis nostri Ordinis omittuntur verba (Parenthesis Secretæ) præterquam in Ecclesia Portuiculæ, & in aliis eodem die consecratis, in quibus dicta verba non omittuntur, sed in eis nulla fit commemor. S. Stephani.

2 In festo S. Clare, in Missa nulla fit commemor. Octavæ S. Laurentii, & dicitur **Credo**, quia est festum ex principalioribus Ordinis. Infra Octavam S. Laurentii in Missa fit commemor. Octavæ sanctæ Clare, ac simplicis occurrentis, & dicitur **Credo**. ob Octavam S. Clare: sed in Ecclesiis Monialium Clarissarum etiam secularibus subjectis, Missa dicitur de Octava sanctæ Clare cum commem. Octavæ S. Laurentii. In Vigilia Assumptionis Missa Conventualis debet dici de Vigilia post Nonam cum commemor. Octavarum & sancti Eusebii Confess. Præfatio Communis. Color violaceus: quod etiam & in aliis Vigiliis infra Octavam occurrentibus servandum erit, dummodò agatur de Octava, ut supra.

PRO FESTIS MENSIS SEPTEMBRIS.

1 Festum Beatorum Martyrum Joannis & Petri Ordinis Minorum occurrens in diem 29. Augusti, celebrandum erit die 3. Septembris tamquam propria: & non dicitur **Credo**.

2 In festo Translationis sanctæ Rosæ Virginis Viterbiensis, Missa dicitur sicut in alio festo 13. Martii, & dicitur **Credo**.

3 Si dies Octavæ Nativitatis B. M. V. occurrat in Feria iv. Quatuor Temp. dici possunt duæ Missæ Conventuales, Missa de Octava dicitur post Tertiam, in qua fit commemor. sancti Nicomedis tantum; Missa verò de Feria dicitur post Nonam, 2. Oratio. **A cunctis**. 3. ad libitum, Præfatio communis, sine **Gloria** & **Credo**. Ex Decr. S. R. C. 12. Decembris 1626.

4 Festum SS. Stigmatum si occurrat in aliqua Feria Quatuor Temporum, in Missis fit commemor. Feriæ, & in fine legitur ejus Evangelium; possunt tamen cantari duæ Missæ absque commem. utriusque, & in Missa Feriæ dicitur Præfatio communis; cetera ut in Missali Romano.

5 Si Festum S. Thomæ de Villanova Episc. & Confess. occurrerit in Feria vi. Quatuor Temporum Septembris, tunc mutari debet Postcommunio Festi, quia est eadem cum Postcommunione Feriæ; & pro festo S. Thomæ sumenda erit Postcommun. ex Missa, **Sacerdotes tui**, de eodem Communi secundo loco, nempe, **Deus fidelium remunerator, &c.**

6 Quotiescumque celebratur Vigilia S. Matthæi in aliqua Feria Quatuor Temp. dici possunt duæ Missæ Conventuales. Una de SS. Martyribus Eustachio & fociis post Tertiam, in qua nulla fit commemor. Vigiliæ, nec Feriæ. Altera verò Missa de Feria dicitur post Nonam, in qua fit commemor. Vigiliæ, tertia Oratio, **A cunctis**, sed in fine legitur Evangel. S. Joannis, non Vigiliæ, quia non fuit lectum in Officio. Gavant. par. 4. tit. 5. num. 17.

7 Festum B. Bernardini de Feltria Confess. Ordinis Minor. celebratur die 28. hujus sub ritu Duplici minoris, juxta Decretum Sac. Rit. Congr. & in Missa ejusdem non dicitur **Credo**. Festum verò S. Venceslai mart. imposterum celebrandum erit sub ritu semiduplici de precepto die 22. Octobris.

PRO FESTIS MENSIS OCTOBRI.

1 In festo Translationis sanctæ Clare, Missa dicitur ut in ejus festo, servata Rubrica Translationis sancti Antonii; & in ea fit commemor. Vigiliæ S. P. N. Francisci cum ejus Evangelio in fine Missæ. Quod si cantentur duæ Missæ Conventuales, Missa Translationis sanctæ Clare cantatur post Tertiam sine commemor. prædictæ Vigiliæ, Missa verò de Vigilia post Nonam, 2. Oratio. **Concede**. 3. **Ecclesiæ**, vel pro Papa. Præfatio communis. Color violaceus.

2 In festo B. Seraphini de Monte Granatio Confess. Ordinis

Capuccinorum, Duplex, Missa dicitur de Communi Confess. non Pontificis secundo loco, sine **Credo**. & transferre facit Festum S. Elzéarii in primam diem non impeditam pro semper, scilicet in diem 20. hujus.

PRO FESTIS MENSIS NOVEMBRIS.

1 Si Festum S. Martini Episc. venerit in Dominica xxii. post Pentecosten, debet mutari Secreta Dominicæ, quia est eadem cum Secreta S. Martini, & sumi debet Secreta Dominicæ xxiii. sequentis, ex Gavant. par. 1. tit. 7. num. 8.

2 In festo S. Jacobi de Marchia Confess. (quod ex Decr. Sac. Rit. Congr. 5. Aprilis 1727. concessum est celebrari imposterum sub ritu Duplici secundæ Classis) Missa dicitur ut ibi, cum **Credo**, quia est una ex Festis Ordinis Nostri principalibus. Quod si venerit in Adventu, fit commemoratio Feriæ.

3 Die 29. hujus fit de Festo Omnium Sanctorum Ordinis Minorum sub ritu Duplici secundæ Classis, & in Missis privatis tantum fit commemor. Vigiliæ S. Andræ Apostoli, ac S. Saturnini martyris. Quod si venerit in Adventu, primò fit commemor. de Feria, postea de S. Saturnino, & ultimo loco de Vigilia sine ejus Evangel. in fine: & dicitur **Credo**. Si autem cantentur duæ Missæ, in Missa Festi nulla fit commemor. in Missa verò Vigiliæ, ante Adventum, secunda Oratio de Beata Maria, **Concede nos**, tertia, **Ecclesiæ tue**, vel pro Papa, **Deus omnium fidelium**. In Adventu autem fit commemor. Feriæ, & Oratio tertia erit de B. Maria, **Deus, qui de beatæ Mariæ virginis utero, &c.** & legitur in fine utriusque Evangelium S. Joannis.

4 Si Festum S. Andræ Apostoli venerit in Feria secundæ, commemor. Vigiliæ ejusdem fit in Sabbato præcedenti in Missis privatis tantum Festi sancti Jacobi de Marchia, & de dicta Vigilia legitur Evangelium in fine Missæ; Commemor. verò S. Saturnini fit in Dominica. Quod si cantentur duæ Missæ, in Missa Festi sancti Jacobi nulla commemor. facienda erit: In Missa verò Vigiliæ, omnia ut in Missali, secunda Oratio de B. Maria, **Concede nos**, tertia, **Ecclesiæ**, vel pro Papa, **Deus omnium fidelium**. & in fine utriusque legitur Evangelium S. Joannis.

PRO FESTIS MENSIS DECEMBRIS.

1 In Dominica infra Octavam Conceptionis, vel in ipsa die Octava, Missa dicitur de Dominica, cum commem. Octavæ, & non dicitur 3. Oratio. Præfatio de Conceptione; non dicitur **Gloria**, Color violaceus, ex Gavant. par. 1. tit. 5. num. 10.

2 In Festis S. Damasi, & S. Lucie Missa dicitur ut in Missali Romano, sed fit commemor. Oct. & Feriæ, & dicitur **Credo**, & Præfatio de Conceptione. In reliquis verò servantur Rubricæ posite in Missali Romano.

Notanda quædam generalia ad Missale Fratrum Minorum Capuccinorum.

1 Qualibet Feria v. quando fit Officium de SS. Sacramento, Missa dicitur Votiva prout ponitur in Missali Romano post Commune Sanctorum; in qua dicitur 2. Oratio. **A cunctis**, vel alia pro diversitate temporis, ut in semiduplicibus.

2 In Missis votivis de Spiritu Sancto, 2. Oratio debet esse Sancti, de quo factum est Officium, 3. **A cunctis**, & non **Concede**, (ut aliqui putant) vel alia, quæ in Missa Conventuali esset secunda. Quod si addenda sit quinta, servetur Rubrica de Orationibus in Simplicibus.

3 In Missa dicendum est **Confiteor**, simpliciter & purè prout habetur in Missali Romano, absque additione alicujus Sancti etiam Patroni; præterquam in Ecclesiis Hispaniarum, quibus à Pio V. hoc expresse concessum est, ex Gavant. par. 2. tit. 5. num. 7. In universo Ordine autem S. Francisci in **Confiteor**, exprimitur nomen ejusdem S. P. N. ex vigore Statutor. Seraphici Doct. S. Bonaventuræ anni 1260.

4 Regulares non tenentur ad plures Missas cantandas, quia non sunt Ecclesiæ Collegiatae, sed appellantur propriè Conventuales ab Innocentio IV. in Bulla ejusdem 7. Bullarii.

5 Quando exponitur SS. Sacramentum in Altari pro initio 40. horarum, vel spiritualium exercitationum, cantari debet Missa votiva de Sacramento, quæ habetur circa finem Missalis, non autem festiva Corporis Christi (nisi infra Octavam ejus).

MISSÆ PROPRIÆ FESTORUM

ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM.

FESTA NOVEMBRIS.

Die xxviii. Novembris.

IN FESTO SANCTI JACOBI
*de Marchia Confessoris, Missa. Iustus
ut palma. de Comuni Confess. non
Pontificis secundo loco.
Et dicitur Credo.
Si venerit in Adventu, fit commem. Feriæ.*

Die xxix. Novembris.

IN FESTO OMNIUM
Sanctorum Ordinis Minorum.
Introitus.



Audeamus omnes in Dómino, diem festum celebrantes sub honore Sanctorum omnium Ordinis Minorum: de quorum solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Fílium Dei. *Psal. 32. Exultate iusti in Dómino: rectos decet collaudatio.*

✠. Glória Patri. *Oratio.*

Ómnipotens sempitérne Deus, qui nos omnium Sanctorum Ordinis Minorum mérita sub una tribuísti celebritate venerari: quæsumus, ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis intercessoribus largiáris. Per Dominum.

Et fit commem. Vigilæ S. Andreæ Apostoli, & S. Saturnini mart. si fuerit ante Adventum. Si autem venerit in Adventu, primò fit commem. de Feria, postea de S. Saturnino mart. postremò de Vigilia S. Andreæ Apostoli, de qua non legitur Evangelium in fine Missæ.

Lectio libri Apocalypsis beati Joánnis Apostoli. *Apoc. 7. c*

IN diébus illis: Ecce ego Joánnes vidi aliterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi: & clamavit voce magna quatuor Angelis, qui
Miss. Ord. Capucc.

bus datum est nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadúsque signemus servos Dei nostri in fróntibus eórum. Et audivi númerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Juda duodecim millia signati. Ex tribu Ruben duodecim millia signati. Ex tribu Gad duodecim millia signati. Ex tribu Aser duodecim millia signati. Ex tribu Néphthali duodecim millia signati. Ex tribu Manásse duodecim millia signati. Ex tribu Símeon duodecim millia signati. Ex tribu Levi duodecim millia signati. Ex tribu Issachar duodecim millia signati. Ex tribu Zabulon duodecim millia signati. Ex tribu Joseph duodecim millia signati. Ex tribu Bénjamin duodecim millia signati. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo póterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & pópulis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amícti stolis albis, & palmæ in manibus eórum: & clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno. Et omnes Angeli stabant in circúitu throni, & seníorum, & quatuor animalium, & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adoravérunt Deum, dicentes: Amen. Benedíctio, & claritas, & sapientia, & gratiarum áctio, honor, & virtus, & fortitúdo Deo nostro, in sæcula sæculórum. Amen.

*Graduale. Psalm. 33. T*iméte Dóminum omnes Sancti ejus: quóniam nihil deest timéntibus eum.

✠. Inquirentes autem Dóminum, non deficient omni bono.

*A*llelúja, allelúja.

✠. *Matth. 11.* Veníte ad me omnes qui laborátis, & oneráti estis: & ego reficiam vos. Allelúja.

S e-

Die xxiv. Julii.

IN FESTO S. FRANCISCI

Solani Confessoris, Missa. O s just. ut in Communi Conf. non Pontif. & in Missis privatis tantum fit commem. Vigiliæ, ac S. Christinæ virg. & mart.

Et dicitur Credo.

Sed si dicantur duæ Missæ Convent. in Missa S. Francisci nulla fit commem. Missa verò de Vigilia dicitur, ut in Missali Romano, secunda Oratio, C oncedere. tertia, Ecclesiæ. vel pro Papa: & in fine utriusque legitur Euangelium S. Joannis.

Die xxvii. Julii.

IN FESTO B. CUNEGUNDIS

virg. Missa. Dilexisti. ut in Communi Virginum.

Oratio.

Deus, qui beatam Cunegundem dulcedinis tuæ benedictionibus prævenisti, & Virginem etiam in conjugio conservasti: præsta, quæsumus; ut ipsa intercedente, per vitæ puritatem tibi iugiter adhærere, & per ejus vestigia gradientes ad te pervenire feliciter mereamur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio.

FESTA AUGUSTI.

Die ii. Augusti.

IN FESTO CONSECRATIONIS

Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum apud Assisium, Missa dicitur de Communi Dedicationis Ecclesiæ. Dicitur Credo. & fit commem. S. Stephani Papæ & martiris.

Die iv. Augusti.

IN FESTO S. P. DOMINICI

Confessoris, Missa. O s just. ut in Missali Romano sub hac die. Et dicitur Credo. etiam in Festis infra Octavam occurrentibus.

Die ix. Augusti.

Fit de Sexta die infra Octavam S. Dominici, & Missa dicitur ut in die festo, supra: & fit commemor. Vigiliæ S. Laurentii, ac S. Romani mart. ut in Missali.


Et dicitur Credo.

Die xi. Augusti.

Octava S. Dominici, Missa ut in die, cum commemor. Octav. S. Laurentii, ac SS. martyr. Tiburtii & Susannæ. Et dicitur Credo.

Die xii. Augusti.

IN FESTO S. CLARÆ



Introitus. Psal. 44.

Ultim tuum deprecabuntur omnes divites plebis: adducuntur Regi virgines post eam: proximæ ejus adducuntur tibi in lætitia & exultatione. Psal. ibid. E ruclavit cornu meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. v. Glória Patri.

Oratio.

FAmulos tuos, quæsumus Dómine, beatæ virginis tuæ Claræ votiva natalitia recensentes, coeléstium gaudiorum sua facias interventióne participes, & tui Unigeniti cohæredes. Qui tecum vivit & regnat. LECTIO Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corínthios. 1. Cor. 7.

Ratres, De virginibus præceptum Dómini non habeo: consilium autem do, tamquam misericórdiam consecutus à Dómino, ut sim fidélis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quóniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxóri? noli querere solutíonem. Solutus es ab uxóre? noli querere uxórem. Si autem accéperis uxorem, non peccásti. Et si nupserit virgo, non peccávit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: reliquum est, ut & qui habent uxóres, tamquam non habentes sint: & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utántur: præterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxóre est, solícitus est, quæ Dómini sunt, quómmodo placeat Deo. Qui autem cum uxóre est, solícitus est, quæ sunt mundi, quómmodo placeat uxóri, & divísus est. Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Dómini sunt: ut sit sancta corpore, & spírítu: in Christo Jesu Dómino nostro.

Gra-

passiōnis circa nos beneficia jūgiter sentiāmus. Qui vivis & regnas.

Præfatio ut in die Natalis ejusdem, infra.

fol. 29.

Communio. Matth. 16. Qui vult venire post me, abneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me.

Postcommunio.

Deus, qui mira crucis mysteria in beato Patre nostro Francisco Confessore tuo multiformiter demonstrasti: da nobis quæsumus; devotionis suæ semper exempla sectari, & assidua ejusdem crucis meditatione muniri. Per Dominum.

Die xxvi. Septembris.

IN FESTO BEATÆ LUCIÆ virginis, Tertio Ordinis, Missa. Dilexisti justitiam, de Communi Virg. i. loco.

Et fit commem. SS. Cypriani & Justinæ mart. ut in Missali Romano.

Die xxviii. Septembris.

IN FESTO B. BERNARDINI de Feltria Confessoris, Missa. Justus ut palma, de Communi Confess. non Pontificis secundo loco.

FESTA OCTOBIS.

Die iii. Octobris.

In Translatione S. Claræ virginis, Missa ut in die Natalis ejusdem, servata Rubrica Translationis S. Antonii, ut supra: & fit commemoratio Vigilæ S. P. N. Francisci, Orationes ut supra in festo Sacrorum Stigmatum ejusdem S. P. N. Francisci.

Die iv. Octobris.

IN FESTO S. P. N. FRANCISCI Confessoris.



Audeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes, sub honore beati Francisci: de cujus solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei.

Psal. 32. Exultate justi in Domino: rectos decet collaudatio.

Glória Patri, & Filio.

In Missis votivis, quando fit Officium per annum, dicitur Introitus. Mihi autem, ut supra in festo Stigmatum. Reliqua ut

infra, vel Missa ut in ejus Translatione die 25. Maji.

Oratio.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Patris Nostri Francisci meritis, foetu novæ prolis amplificas: tribue nobis ex ejus imitatione terræna despiciere, & cœlestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Galatas. Gal. 6.

Fratres, Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi; per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. In Christo enim Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei. De cetero nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Grátia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres, Amen.

Graduale. Psal. 36. O justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.

Lex Dei ejus in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja. O Patriarcha pauperum Francisce, tuis precibus auge tuorum numerum in charitate Christi: quos cancellatis manibus, cæcutiens ut moriens Jacob, benedixisti. Allelúja.

Post Septuagesim. in Missis votivis, Tractus. Psalm. 111. Beatus vir, qui timet

Dominum: in mandatis ejus cupit nimis.

Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

Glória & divitiæ in domo ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali, quando fit Officium per Annum, & in Missis votivis, omittitur Graduale, & additur sequens.

Franciscus hic pauper & humilis, cœlum dives ingreditur, hymnis cœlestibus honoratur. Allelúja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. **Matth. 11. d.**

In illo tempore respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi


trá-

Die xxi. Octobris.

IN FESTO SS. URSULÆ
& sociarum virginum & martyrum.

Introitus.

Psal. 118.



Oquebar de testimoniis tuis
in conspectu regum, &
non confundabar: & me-
ditabar in mandatis tuis,
quæ dilexi nimis.

Psal. ibid. B. eati immaculati

in via: qui ambulant in lege Domini.

✱. Gloria Patri.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine Deus no-
ster, sanctarum virginum & martirum
tuarum, Ursulæ & sociarum ejus, palmas in-
cessabili devotione venerari: ut quas digna
mente non possumus celebrare, humilibus
saltem frequentemus obsequiis. Per Dñm.

Pro comm. S. Hilarionis Abbatis, Oratio.

Intercessio nos. ut in Communi Abbatum.

Epistola. Fratres, de Virginibus. ut in fe-
sto S. Claræ. fol. 24.

Graduale. Psal. 44. Dilexisti justiciam & odi-
stiniquitatem. Propterea unxit te Deus,
Deus tuus oleo latitiæ. Allelúja, allelúja.

✱ Adducuntur Regi virgines post eam: pró-
ximæ ejus afferuntur tibi in lætitia. Allelúja.**Evangeliū.** Simile erit regnum. ut in festo

S. Claræ. fol. 25. Et dicitur Credo.

Offertorium. Psalm. 44. Afferuntur Regi
virgines post eam: proximæ ejus afferen-
tur tibi in lætitia & exultatione, adducuntur
in templum Regi Domino. **Secreta.**

INtende, quæsumus Domine, múnera al-
taribus tuis pro sanctarum virginum &
martirum tuarum, Ursulæ & sociarum ejus
festivitate propòsita: ut sicut per hæc beata
mysteria, illis gloriā contulisti, ita nobis
indulgentiam largiaris. Per Dominum.

Pro S. Hilarione Abbate, Secreta. Sacris
altaribus. ut in Communi Abbatum.

Communio. Psal. 118. Confundantur su-
perbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in
me: ego autem in mandatis tuis exercebor,
in tuis justificationibus, ut non confundar.

Postcommunio.

PRæsta nobis, quæsumus Domine, in-
tercedentibus sanctis virginibus &
martyribus tuis, Ursula & sociis ejus: ut,
quod ore contingimus, pura mente capia-
mus. Per Dominum.

Pro S. Hilarione Abbate, Postcommunio.

Protegat nos. ut in Communi Abbatum.

Die xxiii. Octobris.

IN FESTO S. JOANNIS

Capitani Conf. Missa. O s just. ut in

Communi Conf. non Pontif.

Et dicitur Credo.

Die xxiv. Octobris.

IN FESTO S. RAPHAELIS

Archangeli, dicitur Missa propria, ut in
fine Missalis Romani.

Et dicitur Credo.


Die xxvii. Octobris.

IN FESTO SANCTI IVONIS

Confessoris.

Introitus.

Psal. 91.



Ustus ut palma florebit, sicut
cedrus Libani multiplicabi-
tur: plantatus in domo Dó-
mini, in atriis domus Dei
nostri. Psal. ibid. B. onum est
confiteri Domino: & psal-
lere nómini tuo, Altissime.

✱. Gloria Patri.

Oratio.

DEus, qui beatum Ivónem Confessó-
rem tuum, piis operibus, signis, & vir-
tutibus in Ecclesia tua clarere fecisti: præ-
sta quæsumus; ut ejus méritis, & precibus
tua beneficia capiamus. Per Dominum.

Deinde fit commem. Vigiliæ SS. Apo-
stol. Simonis, & Judæ, ut in Missali
Romano.Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad
Corinthios. 1. Cor. 4. b

FRatres, Spectáculum facti sumus mun-
do & Angelis, & hominibus. Nos
stulti propter Christum, vos autem pru-
dentes in Christo: nos infirmi, vos au-
tem fortes: vos nobiles, nos autem ignó-
biles. Usque in hanc horam & esuri-
mus, & sitimus, & nudi sumus, & có-
laphis cædimur, & instábiles sumus, &
laboramus operantes manibus nostris:
maledicimur, & benedicimus: persecu-
tionem patimur, & sustinemus: blasphe-
mámur, & obsecramus: tamquam pur-
gamenta hujus mundi facti sumus, om-
nium peripséma usque adhuc. Non ut
confundam vos, hæc scribo, sed ut fi-
lios meos charíssimos moneo: In Chri-
sto Jesu Domino nostro.

Graduale. Psal. 36. O s just. meditabitur sa-
pientiam, & lingua ejus loquetur judicium.

Lex

Allelúja, allelúja.

✠. **Psal. 91.** Justus ut palma florébit: sicut cedrus Libani multiplicabitur. Allelúja.

Post Septuagesimam, omnis Allelúja, & seq. dicitur Tractus. **Psal. 111.** Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. ✠. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

✠. Gloria & divitiæ in domo ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.



Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. **Matth. 18.**

IN illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno coelorum? Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis: nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno coelorum. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, suscipit. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. **C**redo.

Offertorium. Psal. 20. In virtute tua Domine lætabitur justus, & super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ ejus tribuisti ei.

Hæc hostia, quaesumus Domine, quam sancti Didaci Confessoris tui solemnitate offerimus: ipso etiam intercedente, & vincula nostræ pravitatis absolvat, & tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per Dominum.

Communio. Matth. 19. Amen dico vobis: quod vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.

Postcommunio.

Deus, qui familiam tuam his sacrificiis purgatum, beati Didaci Confessoris tui celebritate lætificas: concede quaesumus; ut ejus humilitatis & patientiæ imitetur vestigia, & ad gaudia perveniat sempiterna. Per Dominum.

Si tempore Paschali occurrat dicere Missam votivam de S. Didaco, dicitur ut in ejus Translatione, præter primam Orationem, quæ dicitur ut supra in die Fe-

sto, servata Rubrica de Orationibus pro secunda & tertia Oratione.

Die xiv. Novembris.


✠ In Translatione S. Ludovici Episc. & Conf. Missa ut in die Natalis ejusdem, servata Rubrica Translationis S. Antonii, ut supra.

Die xviii. Novembris.

✠ In festo B. Salomeæ virginis, Missa, Dilexisti justitiam. ut in Comuni Virg.

Die xix. Novembris.

IN FESTO S. ELISABETH Hungariæ Viduæ.



Introitus. Psal. 118.

Ognóvi Domine, quia æquitas judícia tua, & in virtute tua humiliasti me: confige timore tuo carnes meas, à mandatis tuis timui.

Psal. ibid. B. eati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.

✠. Gloria Patri.

Oratio.

Tuorum corda fidelium Deus miserator illustra: & beatæ Elisabeth precibus gloriosis, fac nos prospera mundi despiceré, & coelesti semper consolatione gaudere. Per Dominum.

Lectio. Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Timotheum. **1. Tim. 5.**

Charissime, Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet: discat primum domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo. Quæ autem verè vidua est, & desolata, speret in Deum, & in stet obsecrationibus, & orationibus nocte ac die. Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infidelis deterior. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unus viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.

Graduale. Psal. 44. Diffusa est gratia in labiis tuis:

tuis: propterea benedixit te Deus in aeternum. **V.** Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.

Allelúja, allelúja.

V. Spécie tua, & pulchritudine tua inténde, prospère procéde, & regna. Allelúja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. **Matth. 13, 1**

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum coelorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo abscondit, & pro gaudio illius vadit, & vendit universa quae habet, & emit agrum illum. Iterum simile est regnum coelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia quae habuit, & emit eam. Iterum simile est regnum coelorum fagina missa in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem forasmiserunt. Sic erit in consummatione saeculi: Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium. Intellexistis haec omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scribe doctus in regno coelorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera.

Offertorium. Psal. 44. Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in aeternum, & in saeculum saeculi.

Secreta.

MUnera, Domine, nostrae devotionis offerimus: ut tibi grata, & nobis salutaria beatae Elisabeth pia supplicatione reddantur. Per Dominum.

Communio. ibid. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae pro consortibus tuis.

Postcommunio.

Quos, Domine, salutaribus dignatus es reparare mysteriis, beatae Elisabeth, quaesumus, intercessionem, celestibus semper nutrias alimentis. Per Dominum.

Die xxvi. Novembris.

IN FESTO B. DELPHINAE virg. Missa. Dilexisti. de Comuni Virg. primo loco, prater Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui beatam Delphinam famulam tuam inter cetera virtutum insignia, virginali pudicitia in conjugio decorasti: concede propitius; ut, cujus sacra sollemnia celebriter veneramur in terris, ejus beata consortia feliciter consequamur in coelis. Per Dominum.

Et fit commemor. S. Petri Alexandrini Episc. & mart. cum Orationibus ex Missa, Statuit ei Dominus. de Comuni unius Martyris Pontificis primo loco.

ORAVSKÉ
MÚZEUM
P. O. HVIEZDOSLAVA

ORAVSKÉ
MÚZEUM
P. O. HVIEZDOSLAVA

ORAVSKÉ
MÚZEUM
P. O. HVIEZDOSLAVA

F I N I S.

ORAVSKÉ
MÚZEUM
P. O. HVIEZDOSLAVA

ORAVSKÉ
MÚZEUM
P. O. HVIEZDOSLAVA

ORAVSKÉ
MÚZEUM
P. O. HVIEZDOSLAVA

ORAVSKÉ
MÚZEUM
P. O. HVIEZDOSLAVA

ORAVSKÉ
MÚZEUM
P. O. HVIEZDOSLAVA

ORAVSKÉ
MÚZEUM
P. O. HVIEZDOSLAVA